

Quaestio medica ... An, fami potius quam temporibus, in assumendo victu, parendum? / [Louis Pierre Félix René Le Thieullier].

Contributors

Le Thieullier, Louis Pierre Félix René, 1730-1796?
Macquer, Pierre Joseph, 1718-1784.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1751]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/z9vgnub6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-octavo
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LI.*

M. PETRO MACQUER, Regiæ Scientiarum
Academiæ Socio, Doctore Medico, Præside.

An, fami potius quàm temporibus, in assumendo victu, parendum?

I.



EMPERANTIAM in victu commendant Medici omnes. Eligi prudenter alimenta jubent. Quæ magis sana judicantur, & simplicius apparari queunt, cæteris omissis, adhiberi volunt. Silent plerique de temporibus quibus cibis uti conveniat. Verùm istud nonnè ad *hygienem* pertinet, ad eam videlicet Medicinæ partem, quæ, quomodo sanitas conservetur, edocet? Quare igitur celeberrimis doctrinâ viris de hoc ipso tacere placuit? Legem forsitan im-

A

ponere noluerunt, quam satis natura præscripsit. Sed naturæ, in omnibus, quam parùm obtemperatur! Imò, non defuere, qui se melius ipsi consulturos arbitrarentur, si eandem ratiociniis suis conarentur astringere. Observatum ab illis fuerat, quibusdam nocere, quòd statutis temporibus alimenta non assumerentur. Indè universis protinùs imperatum, ut, indictâ horâ, victum peterent, nullâ desiderii ciborum, aut ventriculi etiâ habitâ ratione. Scilicet illi, cùm talia fancirent, minimè considerabant non æquè validas esse cujuslibet stomachi fibras, nec eandem inditam fuisse liquoribus digestioni inservientibus vim & energiam. Cavendum itaque, si credatur illorum consilio, nè nova præposterè ingerantur, vel priùs quàm egesta fuerint quæ jàm immissa sunt, vel longiori, post egestionem, intervallo. Quot indè pravæ succorum elaborationes, quæ corpus lædant & sanitatem! Quid igitur agendum ut hæc omnia non accidant? Quotidiana nos undique circumveniunt exempla, quibus, si libuerit, prudentiores effici potuerimus. Brutorum universam inspiciamus turbam; nec ipsis conferri pudeat homines, cùm utrique, similibus ferè organis donati, sensationibus indè similibus afficiant. Hæc porrò lex animalibus, & *sensitiva* quasi sapientia est famem expectare. Necessitati tamen ab illis nimium indulgeri quandoque, negare non auisim. At bruta, pravis digestionibus laborare rariùs deprehenduntur. Quin etiam ex iis plura pastum vix dentibus tritum asservant secretis quibusdam membranis involutum, quem deindè, cùm esuriunt, in os revocant, ibique novo labori subjiunt. Quis proindè fami potius, in assumendo victu, quàm temporibus esse consulendum neget, si sit illa legitimum debitæ reparationis indicium; si optimam tùm adesse demonstret organorum dispositionem, perfectioremque indè præfagiat alimentorum digestionem?

I I.

SENSATIONEM, quâ monemur corpus refici indigere, famem vocari nemo nescit. Renascentem hunc ciborum appetitum, quidam, pro naturæ servitio, alii, pro voluptate habent. Apud Medicos ille, nihil aliud est, quàm nervearum ventriculi fibrarum à gastrico liquore, & aliis, excitata vellicatio. Hæc, jejuno stomacho, eoque ferè vacuo, aut saltem liberiore, ut plurimum existit. Hinc certissimum elicitur argumentum legitimam ab illâ designari nutritionis necessitatem, cui tutò demùm obtemperari liceat. Naturalis dicitur appetitus, cùm, assumptis prudenter alimentis, sedatur; morbus autem, si vorax desiderium explere nequeant copiosiores cibi, vel etiam solidiores. Cur illa exoriat irritatio, quæ probam indicat famem, satis declarant ipsiusmet ventriculi fabrica, humorisque in hujus cavum depluentis natura & indoles. Liquor hic, etsi unicus vulgò creditur, duplex tamen est, & ex duplici scaturit origine. Alius, ut Boerhaavius asserit per exilissimos canales, à *gastricis arteriis* seceratur. *Tenuis est, pellucidus, spumofus, spiritibus dives, salsus leniter, in esurie diu toleratâ acriores* concipit aculeos. Huic-ce miscetur alter in sinu plurimarum glandularum elaboratus collectusque. Per diversa illarum emissaria expressus, ventriculi quasi guttatim irrorat cavitatem. Locorum, in quibus conficitur, structura prodit cur iste *lentior sit & mucosus*. Ex utroque fit liquor, gastricum appellant, qui mixtis utriusque dotibus commendatur. Has ille servat, quandiu perfecta viget sanitas. Idem, nerveas stomachi fibras stimulare non cessaret, donec totus exhauriretur, nisi istud præcaverent alimenta, quæ identidem assumuntur. Tùm enim in ea conversam vim omnem exerit & efficaciam. Eadem impigrè aggreditur, donec ventriculum jàm subacta deseruerint. Ex salibus, quæ secum habet, atque spiritibus, vim illam accipit & energiam, quâ cibis inferatur intimiùs, illorum partes generosiùs penetret, tenuioresque sensim efficiat ac læviores. Intereà fibras minus ab ipso pungi nè miremur. Impedita nam-

que in universâ *ingestorum* mole succi hujus acies hebescit, & sese vix expedire potest. Hinc sanè depromitur, cur, pleno ventriculo, nulla jam percipiatur irritatio, famesque omnis pereat, & cur, eodem fermè vacuo, debeat rursus exurgere. Detrusis scilicet in duodenum, sub nomine & formâ chyli, cibus, gastricus qui superest liquor non idè quiescit. Ventriculi peristalticum solus patitur motum, hujusque jugi beneficio perfectiùs elaboratur. Spirituosæ autem ipsius partes evolutæ magis & expansæ, quaquaversum ferri minimè desinunt. Iis tunc excurrere velociùs, nerveosque fibrarum tractus vividiùs impetere conceditur. Novam ergò necesse est exoriri sensationem, quæ jam liberiores esse stomachum, & in illum, quod naturæ negari non debet, tutò immitti posse demonstrat.

I I I.

VENTRICULUM jure ac meritò famis organum appellaveris. In illo namquè excitatur, & quasi residet ista sensatio. Hujus organi stimulus haberi debet in illud perpetuo rore extillans gastricus liquor, cæterique digestionibus inservientes. Isti assignantur, saliva ex ore, expressus ex faucibus & œsophago mucus quidam, bilis utraque, pancreaticusque succus. Iis socium se præbet aër, & certè non inefficacem. Singuli, pro viribus ac principiis, quibus pollent, agunt. Ut illam subeant alimenta mutationem, quæ digestio est, statutæ requiruntur stomachi, & horumce liquorum conditiones: quænam esse debeant, ex cognitâ illius structurâ fiet perspicuum. Ventriculū etenim, tunicam hîc vasculosam omittimus & villosam, musculosis nerveisque fibris instructum esse quis nescit? Hæ sensum ipsi communicant, illæ robur & elaterium. Carnosæ omnes non eundem affectant tractum & ordinem. Rectiori quædam tramite per totam longitudinem excurrere amant. Has obliquæ secant aliæ; plurimæ demum orbiculares universum amplectuntur cavum, continuisque *spirales* referunt circulis. Densiores istæ & validiores os utrumque cingere observantur. Hujus artificii ratio est, ut in omnem sensum coarctari ventriculus queat, assumpta verò teri efficacius, & misceri, tritaque hinc & indè versari. Sed istud munus quo tempore feliciùs absolvetur? Nonnè, dùm elatior vigeat fibrarum tonus & elasticitas, solemnesque motus poterunt firmiter exerceri. At desiderata quandonam pro votis occurret dispositio? Nonnè, ubi gratus rediit famis aculeus? Tunc enim, quod primum est, pleno minùs stomacho, liberior evadit ipsius actio, simul & potentior. 2°. Addit insuper stimulos subtilior & expeditior factus aër, suâque vi parietes sollicitare pariter, ac cibos dividere paratus. 3°. Defessas præteritæ digestionis labore fibras rursus erigi *fames* admonet, easdemque recenti nutritionis beneficio recreatas, alacrius ad solitos ritus posse applicari. Nunc verò concipiatur quantum esse debeat tunicæ muscularis momentum, si, hujusce *sensationis* habitâ ratione, opportunis reficiamur dapibus. Nostræ etiam hypothese succurrit, unoque, ut ita dicam, animo famulatur varia memoratorum supra liquorum indoles. Horum nonnulli vellicare tantummodò, irritare ac dividere jubentur; irritata demulcent alii, divisa iterum emolliunt, viasque expediunt ac lubricant. Bilis utraque, cystica præsertim, priori parte fungitur. Ista nempe, quæ, ex Boerhaavio, *acerrimus est humorum attenuat fibras motrices stimulat appetitum excitat, insertione sui ductus quandoque sanis in hominibus factâ in ventriculi fundum*. Bilis autem quâ de causâ ciet appetitum? Certè quia descriptis gaudet dotibus, secretaque optimè fuit, & exquisitè præparata. Quæcunque de isto probantur humore, de cæteris quoque digestionem adjuvantibus comprobari credantur. Uno scilicet rectè elaborato, omnes & singulos, dùm stat in homine sanitas, debito perfectionis gradu donari lex est. Cùm famis igitur ad mensam nos accedere suadet, tum optimam adesse organorum dispositionem pronuntiare non dubitemus.

APPELITUS si mechanismo simili excitetur, quo perficiatur digestionis opus, ex præsentiâ illius, prospera de altero prævideri posse manifestum est. Quid enim digestionis nomine intelligi volumus? Eam sanè mutationem quam perpeti coguntur alimenta, donec in chylum prorsus evaserint. Totum hoc in stomacho peragitur; scopusque omnis in istis versatur duobus. 1^o. Contusorum jam dentibus ciborum partes teri rursus, à se invicem separari, &, quantum fieri potest, comminui debent. 2^o. Illas emolliri deindè, intimius penetrari, ac sensim ex solidiori mole ad fluidum quoddam accedere, quasi justus est & assiduus labor. Quod primum, id ventriculus ipsemet præstat. Alterum, ut probavimus, non unius liquidi beneficio contingit. Sed utrumque necessariò obtineri quis neget, si cuncta occurrant, quæ ad utrumque conferunt? Rem porrò ita se habere certiùs evincunt eadem famis & digestionis phænomena. Illâ namque cum afficimur, tunc nerveas partes ac musculares fibras irritari quodammodo constat ex dictis. Hinc iisdem alacrioribus factis, mox assumenda validiùs comprimentur. Hinc, vis & potentia major quæ figuram illorum brevi tempore immutatur est. At, undenàm vellicationis ille sensus, qui stomachum constringi velit? Certè, ab humore gastrico, & à cæteris quoque, imprimitur. Nonnè insuper liquores illos spiritibus, & dicatis unicuique principiis abundè dotatos esse sensus ille significat? Fatendum igitur, simili planè mechanismo, in sensatione famis ac in digestionum operibus, cuncta regi atque gubernari; perfectioremque indè præfagiri debere alimentorum præparationem.

V.

SENSATIONES experiri mechanicum est, ideòque omnes experiuntur. Illis moderatè prudenterque indulgere pauci fortè consueverunt. Iisdem, quod efflagitant, & quandò appetunt, non adeò facilè negatur. Ecquid autem recusaremus *Naturam sequi ducem*, cum sit ipsi *nimum omne inimicum*? Hæc persentitur ipsius lex de fame, ut, ista cum adsit, victus petatur. Huicce legi Medicina consentit; nos, utrique. Nulla ergò statuitur hora? Nulla equidem. Quid enim horæ, aut temporibus cum desiderio ciborum commune est? Nùm desiderium istud, auribus noto quodam sono percussis debet exurgere, aut ventriculus ad solem componi? Eadem proindè tardiori aut promptiori stomacho præscriberentur, valido, & imbecilliori? Verùm, norma institui potest, quam amet natura, à quâ etiam, in posterum, non nisi invita divertatur. Imò, si famem expectetur, eaque sola victum imperet, timendum est nè copiosioribus alimentis eam explere quasi necesse sit, & indè ventriculus obruatur. Respond. 1^o. dubium videri, utrùm illa plus habeat utilitatis quàm incommodi norma, à quâ, etiam coacti, sine periculo non deflectamur. Hoc equidem quotidie observatur in pluribus, qui si tardiùs paulò mensæ accumbant, vel ferè exanimantur, vel plus æquo assumunt, & pravam tum sibi procreant digestionem. Respond. 2^o. famem, quam desideramus, voracitatem non esse, nec proindè insidiosam. Graviores hisce momentis, nùm levius quoddam addere liceat, & planè non insulsum. Scilicet appetitus beneficio, meliùs degustantur dapes, & palato magis arrident: secundum vulgatissimum illud, *optimum ciborum condimentum, fames*. Eadem est igitur, & rationis & voluptatis causa; itaque in gratiam utriusque concludamus.

Ergò, fami potius quàm temporibus, in assumendo victu, parendum.

Proponēbat Parisiis LUDOVICUS-PETRUS-FELIX-RENATUS
LE THIEULLIER, Parisinus, saluberrimæ Facultatis Medicinæ
Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751, A SEXTA AD MERIDIEM.